



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethicæ Doctrinæ Elementa, Et Enarratio Libri quinti  
Ethicorum**

**Melanchthon, Philipp**

**Witebergæ, 1583**

**VD16 ZV 20638**

Alivd Argvmentvm.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56560)

men appetendas esse, modo afferas hac duo, fidelitatem & petitionem diuini auxilij. De fidelitate dicitur 1. Corinth. 4. Hoc in ministris postulat, ut fidelis quis inueniatur. Fidelitas autem duo complectitur, conscientiam mediocris industriæ & diligentiam. Nam afferens ignorantiam affectatam infidelis est. Ut enim ignorantis artis medicæ, qui tamen profitentur se medicos, sunt impostores, & nocere cogitant: ita in gubernatione quacunq; afferentes ignorantiam affectatam, sunt infideles, id est, habent voluntatem nocendi. De spe auxilij diuini inquit christus: Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris cælestis. Item: Ego ero vobiscum vsq; ad consummationem seculi. Hic lucet ingens ἐπιεικεία. Nemo est par gubernationi vitæ, seu suæ, seu aliene, & tamen approbat Deus sustententes eam, si afferamus fidelitatem & petitionem auxilij diuini.

Multa non prospicit paterfamilias, multo plura negligunt principes & gubernatores Ecclesiarum. Hinc igitur prolixa ἐπιεικεία opus esse intelligimus, ut docet parabola de negociantibus, quæ promittit diligentia præmia & successus.

#### ALIUD ARGUMENTVM.

Ambitio est, non expectare vocationem. Petens non expectat vocationem. Est igitur ambitiosus. Respondeo ad maiorem: Ambitio est peccatum regu

gubernationem, nec permittere iudiciū vocan-  
tis, sed pugnare vi, aut alijs modis prohibitis,  
ut assequaris id quod petis.

Talis non expectat vocationem, sed quantum  
ipso est, rapere gubernationem conatur. At pe-  
tus, quæ permittit iudiciū vocanti, non est  
ambitiosa. Expectat enim vocationem sic petens,  
tantum significat voluntatem suam, si videat  
se idoneus. Nam superior, nec nosse multos pos-  
sit, nec deligere ex multis idoneum, nisi se ali-  
qua offerant. Et exploranda est, non solum indu-  
stria, sed etiam voluntas, sicut scriptum est: His  
quem datore diligit Deus. Et verum est di-  
ctum Plauti in Stichō: Stulticia est pater, venas-  
cos ducere inuitos canes. Cum præficitur aliquis  
inuitus ac repugnans, & fortassis donum serui-  
tutis non habens, fastidiosus facit officium. Qua-  
re utile est apud vocantem, significare vo-  
candam. Sic voluntarij concurrunt ad Ge-  
nerationem, Maccabæum & alios. Et Paulus inquit:  
Volo omnes prophetare suo ordine, id est, ne vo-  
canti rectè docentes impediuntur, ut veteri con-  
suetudine, sicut nunc in scholis, liberum fuit om-  
nibus disputare, & modestè interrogare Episco-  
pos seu doctores. Nunc ad Minorem respondeo:  
Neganda est minor: Petens pius, et si se offert,  
tamen expectat vocationem, quia obtemperatu-  
rus est iudicio superioris, & id nec studet corrumpere,

pere, nec impedire iniustis modis, nec pugnat hæc  
 petitio cum ea virtute: quæ vocatur humilitas,  
 nam humilitas non est ignavia, sed vult agere ea  
 quæ ad vocationem pertinent. Verum agit ea  
 non fiducia suæ industriæ, sed fiducia diuinæ auxi-  
 lij, nec despiciens alios. Est enim humilitas vir-  
 tus, qua agnoscens infirmitatem & sorde nos-  
 tras, verè timemus Deum, & nihil agimus supra  
 vocationem, & quæ mandata sunt, agimus fidu-  
 cia auxiliij diuini, non nostræ industriæ, nec despi-  
 cientes alios, sed scientes Deum posse alijs orga-  
 nis vti, & nullius industriam felicem esse, nisi  
 Deo iuuante. Ita David fuit humilis, et si mini-  
 mè ignauus aut otiosus, sed agnoscebat suam in-  
 firmitatem, timebat Deum, & in vocatione Deo  
 obtemperabat, & res mandatas gerebat fidu-  
 cia diuini auxiliij, nec alios despiciebat.

## DE ARBORE CONSANGVINI- TATIS ET AFFINITATIS.



ONSANGVINEI, SI  
 ue cognati sunt, vt Iurisconsultus  
 ait, ab eodem orti ac propagati. Est  
 enim consanguinitas vinculum per-  
 sonarum, quæ propterea, quod ab  
 eadem